



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XL. De Confessione, & absolutione A catholici in mortis articulo,
eidem impertita à Sacerdote Catholico personam Sacerdotis subdolè
tegente, quem esse Præconem Lutheranum putaverat moribundus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XL.

De Confessione & absolutione Aetholici in mortis periculo.

Albertus mercator Saxo sectæ Lutheranae in domo cujusdam hospitis Catholici prope Nurnbergam graviter decumbens jubet ex vicino Aetholico pago advocari Ministrum Lutheranum, sed hospes accersit Catholicum Sacerdotem. Hic ut venit, subdolè Sacerdotis personam tegens, laudat primò aliquas Lutheri dotes, & hoc modo efficit, ut ægrotus sibi persuadeat, Præconem Aetholicum esse, cui proin se torum committit. Sacerdos Catholicus, conciliato sic ægroti Lutherani animò, eum instruit in iis rebus, quæ apud Catholicos sunt scitu necessariae, cùmque in Saxonia vigeat usus auricularis Confessionis, audit ejus Confessionem, absolvit, & sacro Viatico reficit, eique tamdiu assistit, donec inter repetitos contritionis actus, ad quos eum hortabatur, animam efflaret, semper manens in ea persuasione, quòd is, quem sibi assistentem haberet, esset Lutheranus Præco.

QUÆR. I. An talis Sacerdos Catholicus hoc modo licitè simulaverit sectam falsam, & dissimulaverit Religionem veram?

QUÆR. II. An error personæ in Confessario vitiaverit Confessionem Alberti Lutherani?

QUÆR. III. An talis Sacerdos Catholicus Alberto Lutherano rectè administraverit Sacramentum Pœnitentiæ, & S. Viaticum?

230 **A**D præsentem casum ex Carameule desumptum respondet breviter Gobat tom. 1. 17. 7. n. 619. his verbis: Hic mercator existimabat quidem se confiteri Lutherano (nam in multis Lutheranorum urbibus viget adhuc usus auricularis Confessionis)

• li 3

Præ- (1)

Præconi, erat tamen re ipsa solum materialiter Lutheranus: Unde falsa opinio de persona Confessarii, non vitiavit Confessionem. Ita ille. Sed hanc responsionem Attrebatensis inter propositiones à se damnatas ordine secundam ponit. Antequam æquitas hujus censuræ examinetur, supponimus cum cit. P. Gobat Albertum fuisse hæreticum tantum materialem; id enim prudenter supponi potest, & ex circumstantiis casus satis manifestò liquet.

Porro primi Q. resolutio ex eo pendet, an aliquando liceat simulare Religionem falsam, & an aliquando licitum sit dissimulare Religionem veram? Ubi notandum, actiones significantes Religionem falsam in duplici esse differentia; aliæ enim sunt, quæ ex se, ex usu, & consuetudine, aut lege nullam aliam habent significationem, quam Religionis falsæ, cujusmodi sunt genuflexio coram idolo, thurificatio, vestium gestatio, quibus in Sacrificiis impiis utuntur Gentiles, & similia; quia hæc spectatis iis circumstantiis nullam aliam habent significationem, præter cultum illius, in cuius præsentia offeruntur. Aliæ verò sunt, quæ insuper etiam aliam habent significationem, & ob alium finem assumi possunt, cujusmodi sunt esus carniū die prohibito, usus vestium, quibus cultores falsæ Religionis com-

muniter utuntur &c. Hoc notato.

R. I. & dico I. Nunquam licet, etiam ob mortis metum, vel alterius gravissimi mali simulare positivè, & seriò, verbis vel factis Religionem falsam. Ita communissima DD. cum Suar. de fid. D. 14. S. 4. n. 4. Sanch. l. 2. in Decal. c. 4. n. 14. Valentia 2. 2. D. 1. q. 3. p. 2. dub. 4. Tolet. l. 4. Summ. c. 2. Coninch. D. 15. dub. 2. n. 14. Vasq. 1. 2. D. 182. c. 5. Palao de fid. tr. 4. D. 1. pu. 6. n. 3. ubi contrariam opinionem Adriani improbabilem pronuntiat. Ratio Conclusionis est: quia obligamur præcepto fidei negativo, quod proin obligat semper, & pro semper, ut non tantum non protestemur Religionem falsam ex animo, sed etiam, ne illam protestemur quoad apparentiam, quia obligamur non negare fidem exterius: atqui hoc facit ille, qui verbis, vel factis simulat fidem, & sectam falsam: ergo. min. prob. quia qui ita simulat Religionem falsam, vult positivè haberi ab aliis pro sectatore falsæ sectæ, quam ita simulat: Et hinc nunquam licet, etiam ad mortem evitandam, aliudve gravissimum damnum uti verbis, aut factis, quæ spectatis circumstantiis nullam aliam significationem habent, præter cultum falsæ Religionis, uti sunt genuflectere, & preces fundere coram idolo, adolere thura &c. quia hæc est exter-

na fidei protestatio falsa, quæ est intrinsecè mala.

Neque obstat, te non intendere talibus signis falsam Religionem protestari, sed aliud longè diversum; quia sufficit, quod in re, & in apparentia, & facto ipso id intendas.

Conf. Si rogatus de fide illam verbis negares, esset id juxta omnes DD. intrinsecè malum, & nulla ratione honestari posset, etiamsi verba in alia significatione ab ea, quam habent, usurpares: atqui prædictæ illæ actiones æquivalent hinc verbis fidem negantibus; quia sicut verba nullam aliam habent significationem, ita neque illæ actiones spectatis illis circumstantiis, in quibus ponuntur, non habent aliam significationem, quàm cultus idololatriæ.

Conf. 2. Negari non potest, quòd executio illarum actionum, quibus per se sequitur Religio falsa, sit quidem cultus superstitiosus, siquidem seungi non possunt à superstitione, quam habent colendi illum, in cujus præsentia fiunt: sed superstitiosus cultus semper est illicitus: ergo.

Porrò dixi suprà simulare positivè, & seriò; nam si simulatio non seriò, sed joci causâ fiat, aut representationis, uti fit in comœdiis, omnes conveniunt, eam licitam esse, quia illa simulatio non

est protestatio falsæ fidei, sed potius irrisio illius, neque est negatio fidei, sed representatio negationis, ut notat Valent. cum aliis l. c.

R. 2. Licitum est dissimulare 232 fidem, seu Religionem veram tunc, quando non inflat præceptum positivum manifestandi fidem, seu pro eo tempore, quo quis non tenetur profiteri suam Religionem. Ita communis DD. cum S. Thom. Ratio est; quia qui sic solùm dissimulat fidem, utitur jure suo, & non fatetur, quisnam sit, cum ad hoc nulla lege cogatur: atqui qui utitur jure suo, non peccat: ergo non peccat, sicut non peccat Sacerdos, aut Religiosus, qui iter faciens per terras Hæreticorum, induit se vestibus hominis laici, aut sæcularis, non ea intentione, ut se sæcularem, aut laicum simulet (id enim mendacium foret) sed ut Sacerdotem, aut Religiosum celet, ac dissimulet; cum enim obligatus non sit suum Statum vestimento prodere, sed occultandi jus habeat, ideo ad hunc finem consequendum, alieno vestimento se induere jure potest, permittendo interim, ut alii fallantur existimantes ipsum esse ex illorum hominum genere, qui communiter taliter vestiti incedunt: ex quo capite quilibet etiam potest ad se aliis occultandum uti vestibus, & signis, quæ non Religionem distinguunt, sed nationem,

nem, ut si quis vestitus incedat veste turcica; nam per accidens est, quod ille, qui te sic incedentem videt, forte turcam te esse putet. Imò juxta complurium probabilem sententiam cum Suarez. l. c. s. 5. n. 7. Valentia l. c. Conin. *dub. 3. n. 65. & 71.* Sanch. l. c. n. 19. Em. Saa *V. fides, n. 4.* Palao l. c. *pu. 17.* Bannes, Aragon. & aliis, ex gravi causa licitum est uti vestibus, & signis, etiam destinatis ad hoc, ut infideles à fidelibus discernantur, quale signum Romæ est pileus flavus ad discernendos Judæos à Christianis. Id quod variis probant argumentis, præfertim verò ex eo, quod hujusmodi vestes per se propriè, ac directè non sint signa protestativa falsæ sectæ, (alioquin peccarent etiam ipsi Judæi v. g. talem pileum gestantes, quia imò & Magistratus Catholicus delinqueret, compellens eos ad talem habitum gestandum) sed sunt res secundum se indifferentes, quibus uti per se malum non est, nec veræ fidei confessioni oppositum; quia attentis circumstantiis nullo modo vestium istiusmodi usus testatur infidelem esse eum, qui illas gestat, siquidem quilibet, qui te Christianum cognosceret, & sic vestitum videret, non judicaret te negasse fidem, aut videri voluisse eam negasse, sed solum cogitaret, te ob metum mortis, aliudve malum voluisse sub his occultari: secus est, si verbis, quantumvis ambi-

guis, diceres te esse Judæum, Turcam &c. quia ex illis intelligerent audientes te ob timorem mortis fidem negasse; quia verborum significatio strictior, & limitatior est, quàm vestium, & aliorum signorum. Dicitur est suprè ex gravi causa; nam si absque tali causa id faceres; cum tunc nulla ratio legitima adsit veritatem occultandi, merito præsumi potest, te negasse fidem, vel voluisse desertorem illius apparere, quod est intrinsecè malum, uti notat Conin. *dub. 3. n. 65. & 71.* cum Suarez, Sanch, & aliis. Ex dictis colliges, etiam eum, qui transit per terras Hæreticorum, si diebus prohibitis non possit respicere esum carniū absque suspitione fidei Catholicæ, & ex hac suspitione merito timeret peccatum grave, vel damnum sibi obventurum, posse vesci carniū regulariter loquendo, ut sentiant Palao l. c. n. 9. Coninch, Sanch. l. 2. c. 4. n. 25. Azor *cap. 27. q. 3. & c. 29. q. 7.* & alii; quia licet per esum carniū diebus prohibitis aliquo modo distinguantur fideles ab infidelibus; non tamen esus illarum hoc ipso est institutus ad falsam fidei protestationem, & confessionem hæresis: ergo illis cibis utens non potest præsumi negare fidem veram, aut falsam protestari, sed tantum voluisse occultare illam, cum eam manifestare non teneatur.

Lim-

Limitant tamen id cirt. AA. 1. Hoc licere tantum, quando ejusmodi cibos non potes aliter sine suspitione respuere; nam si allegando aliam causam, v. g. debilitatem Stomachi, respuere illos cibos possis, debes id facere, & eos cibos respuere.

2. Limitatur, si non sequatur scandalum grave ex tali exemplo in Catholicis, ut si videntes te cibis vetitis uti existiment, te defecisse à fide, & sic etiam ipsi incitentur ad eam deserendam; tunc non licet eis tibi vesci, quod intelligendum est, ut notat cirt. Paolo, quando horum periculum vitare non potes manifestando causam, ob quam tibi licet uti cibis vetitis in tali occasione.

3. Limitatur, nisi autoritate publica, aut privata provoceris ad vescendum hujusmodi cibis in contemptum Religionis veræ.

Ex modo dictis colligi potest responsio ad 1. Q. videlicet non posse damnari actionem Catholici Sacerdotis, quâ dissimulavit se Catholicum Sacerdotem esse; nam etsi simulare sectam alienam nunquam liceat, licet tamen aliquando dissimulare propriam, & quidem non positivè, sed negativè solum, permittendo, ut Albertus laudem Lutheri acceptaret pro signo Religionis falsæ, cum tamen hæc laus fuerit prorsus indifferens,
R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

cum etiam Dæmon propter aliquas dotes laudari possit. Nec obstat, quod in errorem Sacerdos iste Albertum induxerit, ut existimaret Præconem Hæreticum esse; nam ad hunc errorem non induxit positivè, sed solomodo permittivè, permittendo scilicet, ut Albertus signum dubium, & incertum Religionis Lutheranae acceptaret pro certo: atqui non tenetur aliquis semper impedire errorem alterius, sed tantum tunc, quando error hic noxius foret: qualis tamen non erat error hic Alberti: igitur nullo ex capite Sacerdos hic Catholicus ob hanc suam fictionem culpari potest.

Ad 2. Q. Notandum est, non quemlibet errorem personæ vitare actionem, sed tantum illum, qui versatur circa substantiam actûs: Sic invalidum est matrimonium, quod Cajus contrahit cum Titia, putans esse Bertham; validum verò est, quod contrahit cum Tulia, quam putat v. g. esse divitem, cum non sit, siquidem hoc non apposuit per modum conditionis, sine qua non. Sic invalidum est juramentum, aut votum, si error contingat circa aliquid, quod ingreditur substantiam juramenti, aut voti, v. g. vovisti peregrinationem Lauretanam, putans esse 5. vel 6. dierum, cum sit v. g. 20. &c. & ratio est; quia tunc deest consensus. Contra verò validum est juramentum, vel votum,
K k

votum, si error contingat solum circa aliquid accidentarium, quamvis sine illo non voluisses votum, vel jurare; aliàs plerique contractus humani possent dissolvi, ut notant Less. Navar. Cajet. & alii. Hoc notato.

234 R. Error personæ in Confessione non vitiat Alberti Confessionem. Ratio est, quia error personæ non vitiat actum, nisi ingrediatur substantiam actus: atqui substantiam Confessionis ab Albertò depositæ, & absolutionis à Sacerdote impertitæ non ingreditur error circa personam Confessarii: ergo &c. maj. patet ex dictis, min. colligi potest ex circumstantiis casus; Supponimus enim Albertum fuisse tantum materialem hæreticum; & consequenter fuit animo ita constitutus, ut si cognovisset falsitatem suæ sectæ, & veritatem Religionis Catholicæ, voluisset suam relinquere, & Catholicam amplecti. 2. Jussit ad se vocari Præconem Lutheranum, ut huic confiteretur: ergo desiderium habebat consequendi salutem in Religione vera, licet per errorem suam veram esse putaverit, ubi prævalet intentio generalis quærendi, & consequendi salutem in vera Ecclesia, ac faciendi quod Christus instituit: Unde si scivisset per Confessionem Præconi Lutheranò factam, se non posse salutem consequi, hanc non deposuisset apud Lutheranum Præ-

conem, sed apud Catholicum Sacerdotem, cujus Religionem fuisset etiam amplexus, si hanc veram esse existimasset.

3. Denique eò fine voluit Confessionem suam deponere apud Præconem Lutheranum, ut à suis peccatis expiaretur per formulam absolutionis, adeoque finis præcipuus, quem intendit Albertus per suam Confessionem, erat emundatio à peccatis, & hæc erat actus substantia: hanc autem à peccatis emundationem longè melius invenit apud Catholicum Sacerdotem, quam apud hæreticum Præconem, qui à Laicis absolvendi potestate non differt: ergo totam substantiam, quam Albertus intendit in Præcone hæretico, invenit in Sacerdote Catholico, & per consequens, error, qui contigit, totus fuit solum circa qualitatem personæ, quæ actionem non vitiat, ut supra dictum est, nisi eadem, tanquam conditioni sine qua non, actionis valor alligetur.

Unde non obstat, quòd Albertus judicaverit, illum, cui confessus est, esse Præconem hæreticum, fortè eidem non Confessurus, si scivisset esse Sacerdotem Catholicum; nam substantia, quam Albertus intendit, erat solum homo habens potestatem absolvendi à peccatis, & emundatio ab illis; neque enim confiteri voluit Præconi Lutheranò, quia erat Præco
Lu-

Lutheranus, sed quia putavit, se ab hoc absolvi posse, neque idcirco noluit confiteri Sacerdoti Catholico, quia erat Sacerdos Catholicus, sed quia per errorem putavit non pollere potestate absolvendi à peccatis, ei utique confessurus, si agnovisset hanc potestatem ipsi uni competere, & non Lutherano, sic etiam Religionem Catholicam fuisset amplexus, si veram esse cognovisset, atque adeò, sicut manens in sua Secta tantum materialiter errabat, ita materialiter solum erravit volens absolvi à Lutherano, dum absolvitur à Catholico; ut adeò implicitè habuerit hanc intentionem: volo absolvi ab hoc homine, quia judico, illum habere potestatem, me à peccatis absolvendi: Unde licet aliquo modo sub hac implicita conditione consenserit in absolutionem, si absolvens est Præco Lutheranus, meritò tamen prævoluisse censenda est universalis intentio, quâ voluit absolvi à præfente, quia putavit, eum habere legitimam potestatem, & sic error particularis correctus fuit per intentionem universalem, sicut in simili dicitur de matrimoniis hæreticorum.

Conf. si Cajus pœnitens ingressus Confessionale putet in eo sedere Titium, & huic intendat confiteri, non confessurus Paulo sibi noto, si sciret, hunc Titii confessionale occupasse, non tamen propterea invalidè absolvitur; quia conditioni personæ valorem Sacramen-

ti non alligavit, sed virtualiter hanc habuit intentionem: Nollem confiteri Paulo, quia ei notus sum, si tamen contingeret per errorem, ut ipsi confiterer, malo valere Sacramentum, & absolvi, quàm ut hac mea voluntate illud reddam invalidum, & non absolvar: ergo similis intentio meritò præsumi potest in Alberto, quæ virtualiter, & implicitè erat talis: volo absolvi à Præcone Lutherano, quem puto, me posse absolvere, & nolo absolvi à Sacerdote Catholico, à quo puto me non posse absolvi, si tamen contingeret, ut mihi offerretur Sacerdos Catholicus præ Lutherano, & hic haberet potestatem me absolvendi, malo potius ab hoc absolvi, quàm in absolutus privari Cælo, ad quod consequendum me præparo.

Ad 3. Q. R. Sacerdotem Catholicum Alberto rectè administrasse Sacramentum Pœnitentiæ, illique Sacrum Viaticum dedisse. Ratio est; quia Sacramentum ritè, rectèque administratur ritè disposito, & ubi adsunt omnia requisita tam ex parte Ministri, quàm ex parte suscipientis: atqui Albertus erat ritè dispositus, & nihil deerat ex parte ipsius, vel ex parte Ministri ad licitam, & validam absolutionem: ergo rectè fuit illi administratum hoc Sacramentum à Ministro, seu Sacerdote Catholico. maj. patet. min. prob. 1. ad omne Sacramentum administrandum, & suscipiendum requiritur in

Ministro, & suscipiente adulto intentione. 2. Ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur dolor, & propositum cum præviis actibus fidei, spei, Confessio item saltem formaliter integra, & potestas in Ministro: atqui Albertus habuit intentionem suscipiendi hoc Sacramentum & Minister intendit illud conferre, cum Albertus in hunc finem vocaverit Præconem, & Sacerdos Catholicus cum ea intentione accesserit. 3. Aderant actus fidei, spei, doloris supernaturalis, &c. Quia in his, & similibus ponitur fuisse sufficienter à Sacerdote Catholico instructus, ad quos eliciendos, identidem eum est adhortatus. 4. Non defuit Confessio integra, quia, ut hæc fieret, eum adjuvit: Aderat etiam in Ministro potestas legitima absolvendi, & hic eidem absolutionem impertit: ergo nihil fuit, quod Confessionem vitare potuit,

nisi error in persona Confessarii: atqui hic non vitavit Confessionem Alberti, ut patet ex dictis: ergo valuit Confessio, & ritè absolutus, in statu gratiæ positus est: atqui ægroto posito in statu gratiæ, & desideranti S. Eucharistiam eadem administranda est: ergo Catholicus Sacerdos utrumque Sacramentum Alberto ritè, rectèque administravit.

Neque obstat, quòd Albertus se usque ad mortem Lutheranum professus fuerit; nam de necessariis ad fidem à Sacerdote Catholico instructus est, iisque assensum præbuit, ut adeò non nisi nomine Lutheranus fuerit, re verò Catholicus, cum nec scientia, nec animus, nec aliud quidpiam ipsi defuerit.

Ex his colligi potest, quàm merito censuram tulerit Attribatenensis Episcopus.

